



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt II. De causis efficientibus Raptum; & primò de Raptu à dæmone
causato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

tan tū abstractionem à sensibus importat, cum quis iuxta propriam inclinationem ad divina suspenditur; unde raptus divinus genericè acceptus tantū elevationem ad superna cum alienatione à sensibus includit, siue ista elevatio sit violenta, & contra propriam inclinationem, siue iuxta illam. De his speciebus raptus divini inferius copiosius agemus. Prius tamen oportet de causis raptus generatim sumpti breviter disserere.

CAPUT II.

De causis efficientibus Raptum: & primò de Raptu à damone causato.

Raptus a-
lia sunt
causae in-
trinsecæ,
alia ex-
trinsecæ,
& qua-
nam illa.

Divus Thomas quinque enumerat causas efficientes Raptum, si loquamur de raptu generatim sumpto, prout dicit abstractionem à sensibus. Aliæ sunt extrinsecæ, quales sunt demon, ægrotudo, & DEUS ipse, de quibus D. Thomas hoc art. 1. Aliæ intrinsecæ, quæ reducuntur ad duo principia; nempe ad amorem, & ad animæ intentionem. De amore ecstasim causante D. Thomas art. 2. & Cajetan. hic art. 1. De raptu verò ab intentione animæ proveniente egit D. Tho. q. 173. art. 3. & de veritate, q. 12. art. 3. in corpor. & q. 13. art. 1. ad argumenta.

Demonis virtute posse fieri, ut anima à sensibus omnino abstrahatur, experientia ipsa constat in arreptitiis; quæ verò ratione diabolus possit hunc raptum, siue ecstasim efficere non est difficile investigare. Potest enim diabolus ligare, vel solvere exteriores sensus, idque duobus modis. Prior est quando illos tramites obstruit, quibus à cerebro spiritus sensitivi ad exteriores sensus derivantur, velut contingit in somniantibus. Posterior verò quando eosdem spiritus sensitivos ab exterioribus sensibus, ad interni sensus organa attrahit, ibique retinet ne ad internorum sensuum organa queant descendere.

Hoc autem manifesta ratione probatur: quia demon potest ita vehementer applicare imaginationem alicui objecto, ut ex hac nimia, & vehementi applicatione impediatur, & obstruatur via, per quam spiritus sensitivi ad exteriores sensus penetrant. Igitur potest causare raptum, ac sensuum exteriorum functiones ita suspendere, ut corpus vivum cadaveris mortui, & immobilis speciem præ se ferre videatur.

Secundò, quia multæ res naturales, ut docet D. Thomas quest. 13. de veritate habent naturales virtutes evocandi mentem à sensibus, ut herbæ, vel lapides, in quantum obstupefaciunt sensus, poterit igitur demon facillè his pro voluntate uti.

Tertiò, quòd raptus non excedat virtutes diaboli, facillè probatur ex sagarum, & magorum ecstasi: qui cum in uno loco maneant soporati, variis tamen in locis se fuisse, & varia vidisse, & peregrinasse, decepti sæpè arbitrantur, ut refert Olaus lib. 3. disquis. mag. fol. 102. de septentrionalis Regni descriptione ca. 18. his verbis: Si quis peregrinus cupiat de suorum conditione certi quid cognoscere, præstant, ut intra viginti quatuor horarum spatium reficiat, quid cum illis agatur, vel si iracentis militari- bus absint: hoc modo. Incantator postquam usitatus ca- remonis deos suos compellavit, subito collabitur, & exanimatur, quasi extincto illo revera excedas à corpore anima. Neque enim, aut spiritus in eo reliquus esse, aut restare cum vis a sensu aliquis, aut motus vide-

Exoticæ
magorum
ecstasis.

tur, sed ut ad sint semper aliqui oportet, qui projectum, & exanime corpus custodiant, quod cum non sit, demones illud abripiunt. Hæc ille.

Demum quarto probatur, quia in naturalibus eadem facultate, & vi, quâ Angelus bonus etiam & demon præditus est, quare idem poterit præstare ac bonus Angelus; sicut ergo potest Angelus alienare homines à sensibus, ac his alienatis futura revelare, sic & demon id ipsum efficere poterit. Unde cum demon, ut egregie docet D. Thom. prima parte q. 111. art. 3. operari possit in hominis imaginatione, & phantasia, non quidem imprimendo novas formas rerum; sed potius per motum localem immutando spiritus, & humores, & formas in organis sensibilibus conservatas. Potest quoque raptum facere, seu alienationem à sensibus, ut expressè docuit idem D. Thom. art. 1. huius quest.

Ex quo infero cum D. August. lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 19. quòd eum malus spiritus aliquis arripit, aut demoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas, nam quando demon corpus humanum possidet, & omnino ejus mentem perturbat, demoniacos facit; verò, mente impedita hominem à sensibus alienatum aliqua efficiat divinare, arreptitios facit, & furiosos, siue hoc contingat illa visione, siue spectro in phantasia representato, ita ut demon hominis lingua ad novum utatur, ad proferendum quidquid velit, siue causandi visionem in imaginatione, & ea facit, ut arreptitius furore concitus plura proferat siue hoc, siue illo seimonis idiomate. De his Chrysost. homil. 29. super 1. Cor. 12. loquitur, dum, inquit, vatis proprium est mente commoveri, & necessarè compelli, & trahi tanquam furis periculum, &c. ut plenius de prophetia differemus dicemus. Si autem hoc modo demonis opera visiones in imaginatione causentur, ita ut mens arreptitia non percipiat, nisi ea, quæ demon per locutionem voluerit ei ex illis visionibus manifestari, tunc prodeunt falsi Prophetæ, siue quòd falsa prædicent, siue quòd vera, sed non ultra demonis intelligentiam inspirantis eam, quasi fuissent vera futura, quæ prænuntiare solus DEI est.

Dices, demon non potest applicare mentem ad intelligendum, nisi cum vehementi attentione, cum non possit in ipsam mentem immediate agere, immò nec in phantasiam nisi applicando objecta seu phantasmata.

Respondetur demonem non posse per vehementem quidem applicationem intellectus ecstasim causare. Potest tamen in sensibus internis id efficere dupliciter. Primò per nimiam applicationem imaginationis, ad aliquod objectum; nam si homo ex propria intentione, ut inferius dicemus, potest naturaliter seipsum vehementer applicare, ita ut à sensibus omnino abstrahatur, cur demon id non poterit efficere? 2. & maximè hanc ecstasim potest causare per obstructionem viarum, qua impedit ne spiritus animales à cerebro ad sensus descendant, & sic sensus manent quasi lapsi, & tunc illa ecstasis magis contingit per modum somni, quam per proprium raptum.